

## CLANGOR

Idcirco si talem materiam petis intelligere, scias ipsum esse purum subiectum & vnionem formarum, in quo retinetur quaelibet forma cum possibilitate, quoniam fluxus & labilitas infinitas continet motiones, secundum diuersitatem formarum extremarum et mediarum, quam in ipsam recipit, per aliquam similitudinem coelestinarum receptionum, formarum extremarum & mediarum, que nascitur a natura coelesti, quae fuit de sua natura, Et per alias, comparando eam venam directione suae possibilitatis. Et per alios vocatur possibilitas, quia nullam formam habet in se actualiter, sed oportet formam tribuat cum possibilitate, sicut modo videndo videntur tenebrae, tali modo intelligatur ista materia nil de ipsa intelligendo. Et propterea tibi scribitur forma mundi qualis est. Et illo modo elementa sunt ordinata in mundo, a quibus quaelibet res generatur modo quo apparet, per calidum succedens. Haec Raymundus Lulij. Item de igne, id est, de calido formali dicit Eximidijs in turba Philosophorum. Omnium rerum, id est, creaturarum initium esse naturam quandam, & eam esse perpetuam & primam, omnia coquentem, & ad formam debitam & speciem perducentem, Quare dicit perpetuam & primam. Forte aliquis intelligeret de prima essentia scilicet de creatione, sed non est verum. Sed dicit perpetuam, id est, spiritualem &

*Ignis causa  
formae.*